

1355. portam illam, que Pertusii<sup>a</sup>.\* dicitur<sup>1</sup>, ingressus est Urbem<sup>2</sup>  
et in claustro canonicorum basilice principis apostolorum  
primo descendens, ubi cum domino Benedicto de Ursinis  
basilice predicte<sup>b</sup> canonico hospitatus est illo sero.  
Media tamen nocte surgens cepit de nocte sanctuaria<sup>5</sup>  
visitare et dominus cardinalis etiam cum eodem. Et in  
eadem basilica media quasi nocte sacrosanctam Christi  
Veronicam sibi per dictum dominum cardinalem ostensam  
devotissime rex ipse catholicus adoravit.

40. Qualiter dominus cardinalis Veroni-<sup>10</sup>  
cam sanctam ostendit, *<et imperator><sup>a</sup>*  
ecclesias et sanctorum reliquias visitavit<sup>b</sup>.

*Apud. 3.* Et die tertia Veneris sancto crastino veniente apud  
monasterium sancti Pauli cibi potusque penitentiam  
agens demoratus est cum abate nec illa die propter<sup>15</sup>  
venerande Dominice passionis memoriam ulterius equi-  
tavit. Sed dictus dominus cardinalis in basilica principis  
apostolorum misse ministerium facit et Veronicam  
sanctam universis ostendit. Et in eodem die post solis  
occasum dictus dominus rex alia sanctuaria circuiens<sup>20</sup>  
venit ad sacrosanctam Lateranensem basilicam, que mater  
et caput ecclesiarum Urbis et orbis in Salvatoris nostri  
nomine primitus consecrata per Constantini pii atque  
Silvestri pape neconon et aliorum sanctorum statuta  
ipsius est imperatoris et Romani pontificis prima sedes,<sup>25</sup>  
ibique reliquias<sup>3</sup> omnes et singulas, inter quas circum-  
cisionem domini nostri Iesu Christi<sup>4</sup> et de sanguine  
quodam vasculo cristallino per felicis recordationis do-  
minum Bonifacium VIII. papam in una magni valoris

\*) Perforata F 2.

30

a) Pereusii P. b) predicto P.  
c. 40: P. — a) om. P. b) visitaverit P.

1) *Porta Pertusa vel Perforata in monte Vaticano sita, hodie conclusa;* Gregorius III<sup>4</sup>, p. 95; Adinolfi l. c. p. 145. 2) Cf. Be-  
nessium de Weitmil, in *Fontibus rerum Bohemicarum IV*, p. 522; Hein-<sup>35</sup>  
ricum de Diesenhover apud Böhmler, *Fontes IV*, p. 97, Matt. Villani IV,  
c. 92. 3) Cf. O. Pancini De praecipuis urbis Romae sanctioribusque  
basilikis Ibrum (ed. 1570.) p. 148 sq. 4) Cf. H. Grisar, 'Die angebliche  
*Christusreliquie im mittelalterlichen Lateran (Praepodium Domini)*' in  
'Römische Quartalschrift' XX (1906), p. 100—122.

40